



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

64. An Inquisitores debeant facere actum publicum in die festo? Ex p. 4.
tr. 8. res. 98.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

RESOL. LXII.

An Inquisitores possint resistere appellationem, quam affert reus?

Et quid de hæredibus hæreticorum?

Et an hæreticus non per viam appellationis, sed per viam querelæ, & supplicationis possit adire Superiorem, ut sententiam, quam injustam esse pretendit, revocet, & annulet?

Et an hæreticus possit appellare à gravamine illato ante diffinitivam sententiam, & sic ab interlocutoria, & Decreto torturæ?

Et an si gravamen sit illatum ab Episcopo, possint laici appellare ad Metropolitanum, non autem exempti? Ex p.4. tr.8. Ref.32.

Sup. conten-
tatur in hoc §.
in ref. præ-
scripta §.1.

Respondeo affirmativè, si reus appellet à sententia diffinitiva contra eum lata, nam, ut habetur in cap. ut Inquisitionis, de hæret. in 6. prohibetur iudicibus admittere appellationes hæreticorum, & ita docent Rojas singul. 19. num. 1. & seq. Simanca in cathol. instit. tit. 6. num. 2. Pegna in direct. Inquisit. part. 3. comm. 31. Paramus de orig. Inquisit. lib. 3. q. 4. n. 58. Zanchinus de hæret. cap. 20. num. 1. Decianus in tract. crim. lib. 5. cap. 20. num. 26. Carrera de hæret. num. 129. & iterum Rojas singul. 179. n. 2. ubi ex hoc asserit, quòd sententia ab Inquisitoribus contra hæreticum lata potest executioni demandari, etiam pendente termino decem dierum à iure communi ad appellandum dato. Et hæc omnia intelliguntur etiam quoad hæredes hæreticorum, qui non possunt appellare à sententia contra hæreticos lata, & ita docet cum aliquibus limitationibus Simanca in Cathol. instit. tit. 6. n. 7. & seq. & Barbosa in collect. tom. 3. lib. 5. tit. 2. cap. 18. num. 6.

Sup. hoc ibi
dem §. No-
tandum est.

2. Verum licet hæreticus, ut dictum est, non possit appellare à sententia diffinitiva, potest tamen appellare à gravamine illato ante diffinitivam sententiam, & sic ab interlocutoria. Ita Pegna, Rojas, Barbosa, & Paramus loc. cit. n. 60. & seq. ubi plura docet de forma huius appellationis ab interlocutorio gravamine, & de requisitis ad eam.

Alibi in ref.
quæ hic est
antecedens
in §. 1. &
lata infra in
tr. II. Ref. 20.

3. Notandum est etiam hic obiter quòd licet, ut alibi diximus, in causa hæresis possit reus appellare à decreto torturæ, ex gloss. in Clem. 1. ver. ipso iure, de hæret. & Simanca in cathol. instit. tit. 5. n. 11. & tit. 6. n. 2. attamen si appellatio sit calumniosa, & Inquisitores videant in processu legitima extare indicia ad torquendum, possunt non obstante appellatione ad torturam devenire, quòd est valde notandum. Et ita tenet Pegna in direct. Inquisit. part. 3. comm. 31. ubi pro hac firmanda sententia asserit instructionem Madrilianam.

4. Quando verò hæreticis licitum est appellare, appellatio deferretur ad Papam; scus in sacro Tribunali S. Inquisitionis Hispan. ubi ex privilegio Apostolico ut alibi probatum est, appellatio deferretur ad supremum Inquisitorem, & si gravamen sit illatum ab Episcopo, possunt laici appellare ad Metropolitanum, non autem exempti. Nam in causis exemptorum quoad hæreses Episcopus procedit non tamquam iudex ordinarius, sed delegatus, & ideo appellatio deferenda est Summo Pontifici. Vide text. in cap. ad abolendam, §. si qui verò, de hæret. in 6. Simancam in cathol. instit. tit. 25. n. 6. Zanchinum de hæret. cap. 8. n. 3. Gundissalvum de hæret. q. 7. n. 34. Carteram de hæret. n. 65. Decian. in tract. crim. lib. 5. cap. 21. num. 4. asserentes Episcopum in causa hæresis exemptorum procedere tanquam delegatum, & non ordinarium, quidquid asserat Hostienus in d. c. ad abolendam, n. 13. Anania n. 24. & alij.

Sup. hoc sup.
ex doctrina
Ref. 60. §.
ult. post me-
dium. verif.
Sed Episcop.

5. Sed pro coronide huius resolutionis ponam hic pulchrum dubium, an hæreticus non per viam appellationis, sed per viam querelæ & supplicationis possit adire Superiorem, ut sententia datam, quam injustam esse pretendit, revocet, & annulet: Affirmativam sententiam tenet Rojas singul. 19. n. 5. & Felinus in cap. ad abolendam, n. 3. de hæret. in 6. At mihi placet opinio negativa, quam tueri Carrera tract. de hæret. n. 130. doctus Simanca in cathol. instit. tit. 6. n. 2. quia ratio, per quam textus in cap. Inquisitionis, denegavit hæreticis appellationem à sententiis contra eos latis modo quo supra dictum est, militat etiam si eis licitum esset Superiores adire per viam querelæ. Vnde licet in aliquibus casibus, in quibus non admittitur appellatio, non impeditur querela, seu recursus, ut docet glossa in cap. ex litteris, de integ. resit. ver. supplicavit. Decius consil. 333. n. 2. Patifius lib. 4. consil. 264. n. 18. Hippolytus, Martilius singul. 88. & alij, hoc tamen in causa hæresis non est admittendum.

RESOL. LXIII.

An Inquisitores in causa appellationis debeant admittere oppositiones testium? Ex part. 4. tract. 8. Ref. 117.

Negativè aliquis respondit ex autoritate Andree Ifernia, & Guidonis Papæ in decis. 500. asserentium quòd de iure in causa appellationis non admittuntur oppositiones.

2. Sed quidquid sit in aliis causis, in causa hæresis, in qua proceditur de plano, & sine strepitu iudicii, Didacus Cantera in qq. crimin. cap. de probat. per testes, §. de plena probatione, n. 58. credit quòd reus admitti debet ad opponendas & probandas oppositiones contra testes primæ instantiæ, etiam in causa appellationis, ubi habuerit locum appellatio, etiam in quacunque parte, quamvis fuerit post appellationem usque ad sententiam, cum non assignetur terminus ad opponendum contra testes. Est verum quòd si esset post conclusionem in causa ex rigore iuris, non admitteretur, sed ex clementia & misericordia iudex ex officio posset admittere, quia iudices in hoc iudicio debent inquirere defensiones reorum, & hoc est quòd dicit Institutio in novissimis, Ita Cantera.

3. Instructio verò quam ipse citat, est Instructio Madriliana an. 1561. ubi n. 38. sic ait: [Luego los Inquisidores con diligencia se ocuparan en tomar las defensas que el reo tiene pedidas y que le pueden revelar recibiendo y examinado los testigos de sus abonos, y los que presentate para provar las tachas de los testigos, que contra el reo depusieren y haran con muy gran diligencia todas las cosas que convengan a la liquidacion de su Inocencia con yqual cuidado que huvieren echo lo que toca a la averiguacion de la culpa, teniendo gran consideracion a que el reo por su prision no puede hazer todo lo que havia menester y haria si estuviessse en su libertad para seguir su causa:] Sic ibi.

RESOL. LXIV.

An Inquisitores debeant facere actum publicum in die festo? Ex p. 4. tract. 8. Ref. 98.

Respondeo affirmativè. Vnde in instrum. Tol. tana anno 1561. sic habetur: [Estados los procesos de los presos votados, y las sentencias ordenadas, los Inquisidores acordaran el dia festivo, que

Et Potestate Inquisitorum. &c. Ref. LXV. &c. 44 r

se deve hazer el auto de la fe, el qual se notifique a los Cabildos de la Iglesia y Ciudad, y adonde se halla audiencia Presidente y Oidores los quales sean combidados para que acompañen segun la costumbre de cada parte.] Ita ibi.

2. Sed ad ornatum dictorum verborum vide Salzedum in pract. criminal. Diaz cap. 114. lib. 1. ubi ita ait: Fuit aliquando controversum, an in die festo traditio Curie seculari facienda est: & omni pratermissa disputatione semper mihi eorum Inquisitionum ritus placuit, in quibus huiusmodi sententiarum diebus festis solent pronunciari. Nam, ut scribit Io. Andreas in cap. ut commissi, de heret. in 6. expedit multitudinem populi congregari ad videndum reorum cruciatus & penas, & inde discant timere homines, & a malo committendo longe repellantur. Unde valde conveniens videatur, ut hoc publice & diebus festis fiat, & forte propter hoc in Hispania nostra publico fidei actu diebus festis solet celebrari, quæ actio tanta auctoritate & maiestate celebratur, ut videatur horrendum ac tremendum spectaculum, & sit veluti imago futuri iudicii, quo nihil esse potest ad terrorem incutendum aptius, ex quo plures utilitates oriuntur. Ita Salzedus, & revera ita est. Vide Paramum de origin. Inquisit. lib. 3. quest. 4. num. 36.

RESOL. LXV.

An Inquisitores possint permittere, ut iudices laici assistant tantum in causis fidei? Ex part. 4. tractat. 8. Ref. 105.

§. 1. Cias amice Lector quodd Venetiis, ut patet apud Thuanum lib. 4. histor. anno 1548. & Michaëlem Roussel in hist. Pontif. juris, lib. 6. cap. 4. n. 19. & in toto eorum dominio cum Inquisitore assistit unus ex Senatoribus, & firmiter credo hoc ibi fieri ex privilegio, seu permissione Pontificis, nam aliter factum non approbo, quia Inquisitores non possunt hoc iudicibus laicis permittere, & ideo Michaël Zarnardus in direct. Theol. p. 1. prac. 1. cap. 6. quest. 29. sic asserit. Iudices laici non possunt ullo modo de causis hæreticorum cognoscere, intellige iudicando, & assistendo, ex permissione fieri potest, non ut votum decisivum in sententiis contra hæreticos latis habeant, sed tantum assistentiam, ut sint certi, quod iuste contra hæreticos proceditur, quod nec etiam permittendum est, nisi ubi Pontifex hoc permittit. Ita Zarnardus.

RESOL. LXVI.

An per illa verba textus in cap. accusatus, non se intromittant, sed relinquunt suis iudicibus puniendos, possint Inquisitores relinquere reum simpliciter, & non remittere iudicibus, ut illum puniant? Ex p. 4. tr. 8. Ref. 111.

§. 1. Respondeo affirmativè, & ita docet Emanuel de Valle de Moura in opuscul. de incantat. sect. 3. cap. 6. num. 10. ubi sic ait: Verba illa textus, non se intromittant, sed relinquunt suis iudicibus puniendos, videntur intelligi ita, ut si prima facie non appareat in sortilegio manifestus sapor, non possunt Inquisitores cognoscere, sed teneantur relinquere reum intactam aliis iudicibus. Si verò ea qualitas apparuit, & cognoverunt, prævioque examine invennerunt, non subesse talem saporem, seu suspensionem, teneantur reum dimittere, impunitum, quantumvis eis

constet de delicto, sicut cum ob blasphemiam quæ videbatur hæreticalis, res examinatur, vel reus capitur, & prævio examine reperitur quidem blasphemasse, sed non hæreticaliter, teneantur reum dimittere, non quidem remittendo illum ad alios iudices, ut eum puniant pro tali delicto, sed eum simpliciter relinquendo? juxta prædictum verbum, relinquunt id est, dimittant, & non impediant, Iudex autem ad quem punitio spectaverit, poterit & tenebitur cognitionem rei assumere, & consilio sibi quoddam sacrum Tribunal eum propterea tantum dimisit, quia delictum non qualificabatur hæresis suspicione, poterit procedere. Ita ille. Sed quia vix sortilegus non misceat, vel credit aliquid sapiens hæresim manifestè regulariter ejus punitio pertinet de jure ad Inquisitores. Sed, ut supra dictum est, de jure novo per Constitutionem Sixti V. Inquisitorum jurisdictio magis in hoc ampliatur.

RESOL. LXVII.

An Inquisitores possint relaxare aliquem brachio seculari inconsulto Supremo Senatu Inquisitionis?

Et an in Hispania sancitum sit, quod Inquisitores particulares nullum Religiosum, nullumve Nobilem, aut aliqua ratione insignem comprehendant, quin prius certiores faciant Inquisitorem Generalem, & ejus Supremum Senatum? Ex p. 4. tr. 8. Ref. 121.

§. 1. Respondeo negativè, per verba Instructionis Toletanæ anno 1561. num. 66. ubi sic ait: [Officiendose casos muy graves no se deven executar los votos de los Inquisidores Ordinarios y Consultores aunque sean conformes sin consultarlo con el Consejo como se acostumbre hazer y esta proveydo.] Sic ibi. Ex quibus verbis Molina justit. tract. 5. disp. 28. num. 14. sic ait: Nullus relaxatur brachio seculari Senatu supremo inconsulto, etiam si vota Inquisitorum, Ordinarij ac consultorum omnino consentiant, quoniam id inter causas gravissimas computatur. Ita ille, qui citat Pegnam in direct. part. 3. comment. 96.

2. Notandum est etiam quod Castrus Palasus in opere morali tom. 1. tract. 4. disp. 8. punct. 13. §. 2. num. 5. in Ref. 99. §. ult. per tot. & inf. in tr. 11. ex doctrina Ref. 21. cursum in fine. asserit: In Hispania sancitum esse ut Inquisitores particulares nullum Religiosum, nullumve Nobilem, aut aliqua ratione insignem comprehendant, quin prius certiores faciant Inquisitorem generalem, & ejus supremum Senatum, missis ad eos indicibus & probationibus habitis contra talem reum, & ex eorum præscripto procedatur, & non aliter, à qua regula solum est excipiendus casus periculi, fugæ, vel alterius gravis mali. Sic ille, qui citat Molinam & Pegnam ubi supra, cum Simanca in cathol. instit. tit. 34. num. 33. & ulus supradictus in Hispania circa capturam supradictarum personarum procedit ex verbis supradictæ Instructionis Toletanæ num. 5. ubi sic habetur. [Si los Inquisidores fueren conformes en la prision manden la hazer como lo tuvieren acordado y en caso que el negocio sea calificado por tocar a personas de calidad o por otros respectos consulten al Consejo.] Ita ibi. Sed nos de hoc etiam alibi supra aliqua adnotavimus.

RESOL. LXVIII.

Quomodo se gerere debeant Inquisitores, ne irregularitatem incurrant, tradendo hæreticos Curia seculari?

* Sup. in resolutionibus, quæ hic sunt inf. 405. 106. 102. & lege etiam Ref. 103. & 104.

Sup. in Resolutionibus & locis not. præteritis.

Et